R. A. 20 Decemb. 1618.

15

SENTENTIA VOTA, ET MOTIVA

proceſſus appellationis don Martini de Bardaxi.

IN Dei nomine amen. Nouerint vniuerſi, quod anno computato a natiuitate Domini milleſimo ſexcẽteſimo decimo octauo, die vero quæ computabatur viceſima mẽſis Decembris, apud ciuitatem Cæſarauguſtæ Regni Aragonum, & in Camera Regij Conſilij interuenerunt Illuſtriſſimus Dominus Don Ioannes Fernandez de Heredia Regens officium generalis gubernationis, & magnifici domini Martinus Godino ordinarius Aſſeſſor, Dominicus de Auengochea, Auguſtinus Pilares, Ioannes de Canales, & Franciſcus Michael de Pueyo Regij Conſiliarij: coram quibus fuit poſitus proceſſus appellationis don Martini de Bardaxi ſuper apprehenſione, in quo quatuor ex dictis Dominis de Regio Conſilio fuerunt voti, & opinionis, quod atten. conten. tenetur, & debet pronuntiare, & declarare per Iudicem a quo male fuiſſe, & eſſe pronuntiatum, & pro parte don Martini de Bardaxi principalis Dominici Adrian, & Hieronymi Garcia procuratorum, bene ad hanc Regiam Audientiam appellatum, & reformando ſententiam dicti Iudicis a quo, mandare fieri contenta in propoſitione dicti don Martini de Bardaxi, principalis dictorũ Dominici Adrian, & Hieronymi Garcia procuratorum, præſtita prius cautione forali, alia propoſitione don Ioannis de Torrellas, & Bardaxi, principalis Petri Morillo procuratoris repulſa tantum, neutram partium in expenſis condemnando. Ex eo, & alias, quia ex productis, exhibitis, & fide factis in præſenti proceſſu, & in eodem probatis conſtat inita, & contracta fuiſſe pacta dotalia anno milleſimo quatuorcenteſimo quadrageſimo ſexto, inter Ioannem de Bardaxi,

dominum Baroniæ de Antillon, domnam Beatricem de Pinos eius vxorem, & Ioannem de Bardaxi filium dictorum coniugum, ex vna parte, & Ioannem de Moncayo Regentem officium generalis gubernationis præsentis Regni, & domnam Serenam Çacosta eius vxorem, & Serenam de Moncayo filiam dictorum coniugum, ex alia parte, circa matrimonium quod fuit contractum inter dictos Ioannem de Bardaxi, & Serenam de Moncayo, illaq; fuisse testificata per Dominicum Infant notarium præsentis ciuitatis Cæsaraugustæ, & Arnaldum Carui notarium in villa de Fraga degentem, & commorantem, in quibus pactis nuptialibus inter plura vincula, & grauamina in illis apposita, hæc quæ sequuntur continentur. *Et en caso que otros fillos del dito mossen Iuan de Bardaxi no y de aura, o sin de aura, contecera los ditos fillos, è los descendientes dellos morir, en manera que no y de fincasse descendiente de los ditos otros fillos del dito mossen Juan, en el dito caso; los ditos castillos, y lugares sean, finquen, y tornen a los fillos masclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados de las fillas del dito Juan de Bardaxi, & a los descendientes dellos de mayor en menor, & en la manera, & forma; & con las calidades, modificaciones, & retenciones de suso ditas, & que de la parte de suso es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, & descendientes del. Con tal empero manera, y condicion, que el dito fillo de la dita filla del dito Iuan de Bardaxi, que succedera en los ditos bienes; lleue las armas dreytas de Bardaxi, è aya a nombrarse, è se nombre de Bardaxi, sin mixtura alguna: & do lo sobredito no fiziesse, que venga en el segundo fillo masclo de la dita filla del dito Iuan de Bardaxi, con la dita condicion, è carga, & assi successiuamente en los otros fillos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, de vno en otro seruando orden de genitura. Quieren empero, que los fillos masclos de la primera filla sin de aura, sean primeros en el grado de la succession de los fillos de la segunda; & aquello mesmo se serue en los fillos de las otras; sin de auran; seruando las formas, è calidades de suso puestas, è ordenados. Et en el caso*

que no y de aura fillos masclos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, que en el dito caso, los ditos castillos sean, tornen, è finquen, de, & a los fillos masclos de las fillas del dito Pedro de Bardaxi, & a los descendientes dellos por recta linea, masculos, legitimos, & de legitimo matrimonio procreados, es a saber, de mayor en mayor, seruando entre ellos orden de genitura, & en la manera, & forma, & con las calidades, & modificaciones, & retenciones de suso ditas, & que de la parte de suso es ordenado en el dito Juan de Bardaxi, & descendientes del, & con la manera, condicion, & carga de auer de lleuar las armas, & sobrenombre de Bardaxi de suso ditas, sin mixtura alguna, segun de suso largamente es recitado. Ex cuius clausulæ tenore, & contextura apertissimè colligitur, in defectum descendentium masculorum Ioannis de Bardaxi, & Petri de Bardaxi, vocatos fuisse omnes descendentes masculos ex filiabus dicti Ioannis de Bardaxi, de vno in aliũ, seruato ordine primogenituræ. Illisque præceptum appositũ fuisse deferendi nomen, & arma de Bardaxi, absque mixtura aliqua, & in casu contrauentionis in non deferendo dictum nomen, & arma sine mixtura, vocatum esse sequentem in gradu, proximiorem: Quæ conditio, siue modus cum semper in huiusmodi fideicommissis, & maioratibus apponatur causa conseruationis familiæ, & vt illa armis, & cognomine fundatoris maioratus illustretur, non odiosa, nec onus cõtinentia a Doctoribus consideratur, sed fauorabilia, & publicè interessentia, & summa cum reuerentia, & vigilantia adimplenda, & obtemperanda: Solent enim ex cognomine, & armis, seu insignis familiarum antiquarum vestigia conseruari: aboleri enim familias, & eorum insignia, lugubre est, & ideo pro expedito omnes Doctores profitentur tale pactum in contractibus, aut vltimis voluntatibus adiectum, ad vnguem seruandum fore. Quare rem esse claram attestamur contrauenientes dicto præcepto deferendi nomen, & arma, etiã sine mixtura esse excludendos a successione, in qua tale præceptum reperitur. Quibus suppositis ex meritis præsentis processus resultat don Ioannem de Torrellas & Bardaxi partem aduersam esse legitimum successorem bonorum apprehensorum, cum obligatione tamẽ deferendi nomen, & arma de Bardaxi, absque mixtura aliqua, eundemque

demque esse successorem aliorum bonorum, & sic alterius maioratus relicti a Gabriele Sanchez Thesaurario serenissimi Regis nostri Ferdinandi, cum grauamine etiam deferendi nomen, & arma de los Sanchez, & in casu contrauentionis vocatur tam ex dictis pactis dotalibus, quam ex dispositione in hoc processu exhibita testamentaria dicti Gabrielis Sanchez, & Ludouici eius filij, sequens in gradu proximior. Constat etiam ex probatis in præsenti processu don Martinum de Bardaxi appellantem, esse legitimum descendentem prædictorum Ioannis de Bardaxi, & Gabrielis Sanchez, & immediatè vocatum ad successionem prædictorum maioratuum post mortem don Ioannis de Torrellas sine descendentibus, vel facta per illum contrauentione per inobedientiam, non deferendo nomen, & arma supradicta. Cum igitur don Ioannes de Torrellas extraiudicialiter legitime monitus, & certior factus non obtemperauerit dicto præcepto, nec obtemperare potuerit. Cum dicti duo maioratus sint incōpatibiles, ex eo quod alter eorum requirit nomen, & arma illius absque mixtura, & alter etiam grauat successorem cum dicta obligatione, licet non sine mixtura, casum vocationis don Martini de Bardaxi in vim prædictorum vinculorum venisse profitemur, ipsumque in hoc articulo litis pēdentiæ debere obtinere iuxta forum A vezes. sub titulo de apprehensionbus, absque eo quod præcesserit admonitio aliqua iudicialis, vel iudicis declaratio, cum etiam hæc in terminis iuris non requiratur, vbi vltra expressam dispositionem disponentis, vlterius processit testator, vel donans priuando successorem ob contrauentionem, tunc enim regulariter nulla requisitio est necessaria, & sic est in his Supremis Tribunalibus huius Regni iudicatum in huiusmodi processibus apprehensionum, & in articulis litis pendentiæ. Iuxta cuius fori dispositionem, licet verba illius insinuent esse obtinendum in hoc articulo in vim tituli, quando agitur de bonis alicuius defuncti, cum tamen forus non loquatur de defuncto immediato, etiam intelligitur de mediato, & sic est intellecta, & practicata in hoc Regno dicta fori dispositio. Alias enim nunquam ob contrauentionem successoris posset vocatus ad successionem obtinere in hoc articulo, nisi contraueniens intra annum contrauentionis moreretur, contra omnimodam rationem, & communem intelligentiam dicti fori, & mentem legislatorum, qui dictum forum ediderunt,

diderunt, volentes vinculis, & fideicommissis fauere, vnde in hoc casu in vim dicti fori obtinere debet dictus don Martinus ob contrauentionem dicti don Ioannis in non deferendo nomen, & arma dicti don Ioannis de Bardaxi donatoris. Nec in dubium verti potest, quod dispositio dicti fori procedat in contrauentione alienationis bonorum, & non in hac de qua agimus, cum hæc distinctio, nec ex dispositionibus foralibus, nec iuris communis deducatur, imo vrgentius animum impellunt plures rationes, vt credamus potius militare dispositionem dicti fori in contrauentione nominis, & armorum, cum sit conditio, vel modus potestatiuus, & facilis, & similiter præceptum testatoris, vel donatoris iniuriosè paruipendatur. Nec dicto don Martino de Bardaxi obstare videtur annalis præscriptio, & possessio ex dispositione dicti fori A vezes. resultans, quia prætensa annali præscriptione D. Ioãnes non se potest defendere ex quãplurimis vrgentissimis rationibus: Quarũ præcipua est, quia ex processu non resultat ante interpellationem in processu exhibitam, dictum don Ioannem scientiam, & notitiam habuisse prædictorum grauaminum, sine qua scientia cessat dicti præcepti iniuriosus contemptus, & per consequens priuatio bonorum in non deferendo dictum nomen, & arma sine mixtura, & postquam fuit interpellatus a don Martino de Bardaxi cum ostensione instrumentorum originalium pactorum nuptialium dictorum Ioannis de Bardaxi, & Serenæ de Moncayo, & testamentorum Gabrielis, & Ludouici Sanchez, vt scientiam prædictorum haberet, & obseruaret in illis contenta, & disposita, a qua requisitione (si in terminis huius contrauentionis quæ habet tractum successiuum aliqua poterat currere præscriptio aduersus vltimam contrauentionem, quod summè dubitandum est) illa incepit currere post factam contrauentionem a dicto don Ioanne de Torrellas, sed non a die, & tempore dictæ interpellationis. Imo vero arbitrio Iudicis aliquod tempus dicto don Ioanni tribuendum erat congruum ad deliberandum, quem ex duobus prædictis incompatibilibus maioratibus eligeret, quo dempto tempore deliberandi congruo, cum a die dictæ requisitionis, vsque ad oblationem appellitus apprehensionis non effluxerint, nisi quindecim menses, & octo dies, non potest dari vera, & iniuriosa contrauentio per totum hoc tempus, nec don Martinus agere potuit pendente dicto tempore deliberãdi. Quamobrem post dictam verã con-

trauentionem dictum don Ioannem minime annalem horum bonorum possessorem fuisse, merito censemus, & arbitramur. Quod suadetur, nam in huiusmodi causa non versamur in simplici maioratu, cum dicta obligatione deferendi nomen, & arma, sed in concursu duorum maioratuum incompatibilium respectu vnius possessoris, in quo casu electio secundum iuris dispositionem, & communem Doctorum intelligentiam competit primo ad successionem vocato, qua electione facta, secundus successor incipit habere ius & causam, respectu alterius maioratus. Ex quo don Martinus de Bardaxi agnoscendo hanc iuris dispositionem, & æquitatem postquam requisiuit don Ioannem de Torrellas & Bardaxi cum ostensione dictorum pactorum nuptialium, & testamentorum, vt seruaret in illis disposita eundem admonuit, quod eligeret quem dictorum maioratuum vellet, & hoc intra triduum, seu intra illud tempus, intra quod de foro, & iure eligere deberet, aliasque ipse eligeret vnum ex dictis maioratibus, offerens se pręsto, & paratum adimplere omnia pacta, conditiones, & modos in dispositione dicti maioratus contenta. Quo facto, don Martinus eligere nõ poterat nisi in contumaciam don Ioannis de Torrellas in non eligendo, & sic don Martino non obstabat pręscriptio anni dicti fori, nisi a die electionis per ipsum, vel per don Ioannem factę, vel a die in qua erat in contumacia, & mora eligendi. Et si dicatur, quod dictus don Martinus potuit eligere transactis tribus diebus in admonitione mentionatis, & quod ex tunc cœpit aduersus illum currere pręscriptio, cum non elegerit. Respõdetur, quod dictus don Martinus in dicta interpellatione in processu exhibita non restrinxit, nec coarctauit tempus electionis ad dictos tres dies, sed ad illos, vel ad tempus, quod de foro, & iure procederet, & cum nec de foro, nec de ratione scriptam in hoc grauamine deferendi nomen, & arma sine mixtura certum tempus ad pręcdictam electionem statutum minime reperiamus, idcirco plusquam quatuor menses ad minus arbitramur esse necessarios, cum in re tam graui in qua pręcedere debebat Iurisperitorum consultatio, & calculatis valoribus dictorum maioratuum, qualitatibus illorum consideratis, non in modico temporis spatio fieri poterat, & sic facto computo, a die requisitionis, & tempore per nos arbitrato ad eligendũ, quod de iure competit, nullo modo præscriptio anni obstat don Martino, cum requisitio, & admonitio facta fuerit die decimo octa-

uo

uo Octobris, anni millesimi, sexcentesimi, vndecimi, & electio præsentis maioratus a don Martino ob renitentiam don Ioannis die decima quarta Ianuarij, anni millesimi, sexcentesimi, decimi tertij, & oblatio appellitus præsentis apprehensionis die decimo nono eiusdẽ mensis, & anni, & sic demptis dictis quatuor mensibus datis don Ioanni ad eligendum, don Martinus venit intra annum, cùm dicta electione, & obtinere debet iuxta dispositionem dicti fori A vezes, cûm antea agere commodè non poterat. Sed quia pro parte don Ioanni de Torrellas & Bardaxi contenditur probari, illum non fore grauatum, nec illi nocere præceptum nominis, & armorum de los Bardaxis, ex eo quod dicta conditio, siue modus appositus fuit filijs masculis primi gradus ex filiabus dicti Ioannis de Bardaxi, & nullo modo descendentibus ex illis, & quod ex hac causa cùm huiusmodi præceptum contineat onus, & grauamen, nullo modo ad nepotes, & cæteros descendentes filiorum filiarum Ioannis de Bardaxi ampliandum esse, cùm in hoc casu filiorum appellatione, nullo modo nepotes, & cæteri descendentes comprehendantur, & cum don Ioãnes de Torrellas sit ex descendentibus filiæ Ioannis de Bardaxi, nullo modo eum dicta nominis, & armorum dispositio comprehẽdi. Quæ omnia corruunt si attente legatur clausula, & tota contextura dictorum pactorum nuptialium, ex illis namque non ambigitur fuisse ordinatum, & dispositum perpetuum maioratum inter filios, & descendentes Ioannis & Petri de Bardaxi, in quo casu filiorum appellatione nepotes esse comprehensos, omnes Doctores fatentur, & idem in Aragonia cùm hoc non sit extendere literam, sed eam intelligere ex vi comprehensiua, & lata significatione filiorum, quorum appellatione nepotes, & descendentes veniunt concurrentibus, quæ in hac dispositione maioratus manifestissime patent. Nam cum natura institutionis maioratus sit, vt bona in familia institutorum perpetuo conseruentur, & memoria fundatorum obliuioni non tradatur, & per delationem dicti nominis & armorum fundatoris, obliuioni eius familiæ occurratur, merito ea interpretatio secundum naturam rei desumitur, vt appellatione filiorum in hanc armorum & nominis delatione, nepotes, & alij descendentes vocati comprehendantur. Quod clarius demonstratur ex verbis finalibus clausulæ desuper insertæ, ibi, *Et en la manera & forma, & con las calidades, modificaciones, & retenciones de suso ditas, & que de par de suso es ordenado*

en

en el dito Iuan de Bardaxi & descendientes del, & con la manera, condicion, & carga de auer de lleuar las armas & sobrebrenombre de Bardaxi de suso ditas: sin mistura alguna, segun de suso largament es recitado. En igitur, vbi ex verbis expressis, & præsuppositiuis dictorum disponentium colligitur dictum grauamē delationis armorum, non solum iniunctum fuisse filijs primi gradus filiarum Ioannis de Bardaxi, sed eorum descendentibus filiorum filiarum Petri de Bardaxi, aliàs enim esset corrumpere literam, & notoriam mentem donatoris, & subuertere verum, expressum, & specificum sensum verborum, maximè cum vt supra dictum est, pręceptū nominis, & armorum, non sit onus difficile, sed circunstantia quędam necessaria ad conseruandam memoriam maioratus, & constituentiū illum. Nec ex eo quod hæc dispositio circa nepotes, & alios descēdentes dubia videatur, excusandus est don Ioānes de Torrellas, quia nos non dubiam dispositionem, sed claram & manifestam ex mente, & verbis donatoris iudicamus. Nec dicto don Ioāni prodesse debet prętensa ignorantia, vt non incurrat in amissionē maioratus, & bonorū apprehensorum ob dictam cōtrauentionem, quia re vera est affectata cum potuerit facta requisitione bene inspicere mentem, & literam, & quamplurimos Iureconsultos consulere de hac re, & non constat ex processu aliquam circa hoc fecisse diligentiam, nec consultationem. Minus etiam obstant allegata in replica don Ioannis de Torrellas & Bardaxi, circa solemnitates instrumenti pactorum dotalium, quorum virtute inititur dō Martinus de Bardaxi ad successionem bonorum apprehensorum, ex eo quod dicta pacta dotalia fuerunt testificata a duobus notarijs Dominico scilicet, Infant notario publico ciuitatis Cęsaraugustę, & Arnaldo Carui notario villę de Fraga, & quod instrumentum pręsentatum dicto don Ioanni, & in cuius vim fuit pręsens appellitus apprehensionis prouisus fuit extractum & signatum tantum ab Antonio Carui commissario notularum Arnaldi Carui, & non a Dominico Infant, nec ab eius commissario, & quod aliud instrumentum dictorum pactorum nuptialium exhibitum in propositione dictorum rogatorum, & ab eisdem signatum nullam etiam facit fidem, quia constat de nota originali Dominici Infant, & ex inspectione illius patet, quod tale instrumentum nō fuit testificatum, cum nec sub die vicesimo tertio Februarij, sub qua die fuit testificatum, reperiatur aliquod instrumentum, nec locus vbi

potue-

potuerit ingrossari cum post diem decimam octauam Februarij anni millesimi, quatuorcentesimi, quadragesimi sexti, in quo anno fuit dictum instrumentum testificatum, secundum assertionem commissariorum, qui illud extraxerunt, statim reperiantur continuata alia instrumenta sub die vicesimo quinto dicti mensis, & anni absque aliqua mentione dictorum pactorum, nec aliquo spatio vbi posset tale instrumentum continuari, quo supposito lineæ prioris appositæ instrumento extracto per dictos commissarios cum sint appositæ propria manu Martini Vicent commissarij notularum Dominici Infant, & non constet de tali instrumento in dictis notis, non sunt appositæ propria manu notarij extraentis instrumentum iuxta forũ Prouidendo. de fide instrumentorum. & sic dictum instrumentum esse nullum, cùm dictas lineas non apposuerit Antonius Carui commissarius notularum Arnaldi Carui, de cuius nota constat per copiam originalem processus manifestationis Ioannis Mir in præsenti processu exhibiti. Sed hæc omnia obstare non videntur, vt detrahamus fidem dictis instrumẽtis pactorum nuptialium, illorum enim extractio cuilibet ex notarijs rogatis competebat, cùm non fuerint rogati, vt simul communicantes, & testificantes dictum instrumentum testificarentur, vbi enim hoc requisitum non reperitur testificatio facta à duobus notariis, nihil aliud est in dubio quam quædã superabundans cautela, quæ si non adimpleatur, non solet nocere, superflua enim non nocent, sed solum necessaria prætermissa minuunt contractus, & non superabundans cautela. Nec credendum est quispiam genus disponendi difficile elegisse ad sua iudicia impugnanda, & subuertenda, vnde si pro abundanti cautela contrahentes duos adhibuerunt notarios non dicendo simul communicantes & testificantes, quorum vnus haberi non potest, vel non apparet, tale instrumentum non propter hoc corruit secundum magis veram Doctorum opinionem, nec illa bona & superabundans cautela nocet, & licet sint aliqui Doctores, & Senatuum decisiones contrarium sentientes, tamen ijdem fatentur quod vnius ex notariis extractio sufficiat si concurrit antiquitas temporis quæ in hoc casũ patet cum excedat plusquam centum & quinquaginta annos, quæ tẽporis antiquitas non solũ hunc effectum operatur, sed etiam quod instrumentum extractum per cõmissarium successorem, probet pro vt etiam si nota originalis non appareat concurrentibus aliquibus coniecturis veritatis, ex qua causa cum dicto instrumento per Mar-

 tinum

tinum Vicent extracto fuit præsens appellitus apprehensionis prouisus, & in hac Regia Audientia in appellatione confirmatus, licet sit verum quod tunc pro parte don Ioannis de Torrellas nulla poterat exceptio allegari, & ideo ad corroborandum fidem dicti instrumēti in prouisione dicti appellitus apprehensionis exhibiti, fuit pro parte don Martini de Bardaxi in sua propositione exhibitum dictum aliud instrumētum extractum per dictos Antonium Vicent, & Arnaldum Carui commissarios & successores in prothocolis dictorum Dominici Infant, & Arnaldi Carui, cui plenam fidem adhibendam esse iudicamus, etiam si non constet de originali nota dicti Dominici Infant, attenta antiquitate temporis, & quod notarij successores attestantur, quod dicta instrumenta extraxerant a suis notis originalibus præcedentibus cōmissionibus earum per Regentem officiū generalis Gubernationis, & Locūtenētis Iustitiæ Aragonū, & compulsis a Locūtenentibus Iustitiæ Aragonū, præcipientibus dictis notariis successoribus, vt dicta instrumenta extraherent, in quibus omnibus ob temporis antiquitatem ius præsumit interuenisse omnes solemnitates, & requisita necessaria. Et omnia supradicta coadiubantur ex copia processus manifestationis Ioannis Mir, ex qua colligitur expresse tam in ipsis pactis nuptialibus, quam ex regestro illorum fuisse testificatum hoc pactorum dotalium instrumentum per dictos Arnaldū Carui, & Dominicum Infant, cùm per dictum processum constet de nota dicti Arnaldi Carui, quod sufficere asserimus non solum ad corroborandum instrumentum respectu extractionis Antonij Carui, vt successoris Arnaldi Carui, sed ad reualidandam extractionem Martini Vicent, & appositionem linearum per eundem in dicto instrumento, vt commissarij Dominici Infant, quia quando vnus ex notarijs signare non potest, vel non apparet de eius nota, credendum est alteri notario, seu eius collationario, in cuius regestris, seu prothocolis nota dicti instrumenti reperitur registrata, præsertim in antiquis. Et licet nota dicti Dominici Infant circa dicta pacta dotalia non appareat, cùm possit dicti instrumenti testificatio esse in folio volanti extra prothocolum, vt fuit repertum in posse commissarij notularum Arnaldi Carui, qui respondendo manifestationi dedit instrumentum, & prothocolum, & dixit quod dictum instrumentum, & regestrum habebat inter scripturas Arnaldi Carui extra prothocolum, & ita inter scripturas Dominici

minici Infant poterat iacere dictum instrumentum extra prothocolum, Antonius Mirauete successor notularum Dominici Infant, satisfaciendo compulsæ in præsenti processu factæ duxit ad Curiam Iustitiæ Aragonum dictum prothocolum, sed tamen respondendo dictæ compulsæ dixit, *Que aunque auia traydo dicho prothocolo del año mil quatrocientos quarenta y seys, pero que no auia acabado de mirar y reconocer los papeles del dicho año, por estar aquellos muy rebueltos deshechos y descosidos, y de manera que es menester algun espacio de tiempo para mirarlos, y traer lo que mas faltare de dicho año para satisfazer a la dicha compulsa,* Ex qua responsione colligitur manifestè, quod sunt aliæ scripturæ illius anni inter scripturas Dominici Infant, inter quas instrumentum fortasis inuenietur, sed tamen etiam si non inueniatur vbi omnia supradicta concurrunt, scilicet tanta antiquitas temporis, tot præcepta, & prouisiones Iudicum, vt extrahantur in particulari, & legalitas, & bona fides dictorum Martini Vicent, & Dominici Infant, aduersus quam nihil est probatum in processu, & duo commissarij integræ fidei ex notis originalibus dictorum Dominici Infant, & Arnaldi Carui prædicta pacta dotalia desumpsisse asserant, his concurrentibus plenam fidem adhibere decreuimus dicto instrumento. Nec in contrariam sententiam omnia supradicta nostrum animum mouere potuerunt cum iam hæc Regia Audientia in alijs causis plenam fidem adhibuerit sumptis per successores notularum extractis, non apparente nota, concurrentibus ijs, vel similibus causis, ex quibus cùm in hac causa etiam concurrat nota ex vno notariorum rogatorum, sic pronuntiandum censemus.

Votum, & motiuum vnius ex Dominis, qui pro don Ioanne vouit.

ALTER ex dictis Dominis de Regio Consilio fuit voti & opinionis, quod atten. conten. &c. tenetur & debet pronuntiare & declarare per Iudicem a quo bene fuisse, & esse pronuntiatum, & pro parte don Martini de Bardaxi principalis Dominici Adrian, & Hieronymi Garcia proc. male ad hanc Audien-

dientiam appellatum, neutram partium in expensis in hac instantia factis condemnando. Ex eo & aliàs, quia non constat de aliquo grauamine illato per iudicem a quo, cuius prætextu eius sententia reformanda sit attentis meritis præsentis causæ & processus, & multis aliis in foro, iure, & iustitia consistentibus, ex quibus Iudex a quo moueri potuit ad recipiendam propositionem don Ioannis, & reiiciendam & repellendam don Martini de Bardaxi, quæ licet videatur fundata in capitulis matrimonialibus don Ioannis de Bardaxi, & D. Serenæ de Moncayo, & quod tanquam descendens ab eis ex vinculis in eis, vt prætenditur appositis, succedere debeat in bonis apprehensis, satis tamen ex motiuis Iudicis a quo eneruata videtur intentio don Martini, & in iure subsistere non posse demonstratur. Tum quia ea capitula non fuerunt producta in forma probanti, neque in tempore requisitionis & interpellationis factæ don Ioanni de Forrellas & Bardaxi ad instantiam don Martini, neque postea in præsenti processu ad merita causæ, ita & taliter, quod don Ioannem absque dubio certiorem facere potuerint, & directe vrgere, vt nomen & arma don Ioannis de Bardaxi donantis bona apprehēsa dicto don Ioanni de Bardaxi filio suo contrahenti matrimonium cū dicta Serena de Moncayo præcise deferre teneretur sine mixtura aliqua, sed sola & tantū. Quid quod hoc onus & præceptum in quadam clausula & gradu plurium substitutionum in eo fideicommisso contentarum prima facie filiis masculis filiarū dicti donantis, & nō descendentibus suis per dictum donantem appositum videtur (de quo infra copiosius erit sermo.) Tum etiam, quia si præsens causa est regulanda iuxta forum A vezes, vt prætendit dō Martinus (quia alioquim in processu apprehensionis obtinere non posset sine actuali possessione cum solo titulo) & casus istius contrauētionis parificari debeat, & perinde valere, ac si de bonis defuncti ageretur vt intra annum a morte testatoris venerit ad illius bona, obtinere debeat cum solo titulo, nisi alius reperiatur in possessione talium bonorum per annū & diem a morte testatoris publicè scitæ, de qua exæquatione & parificatione, non parum videtur dubitandum, cum sufficiat diei sua malitia, & a pragmaticis nostris, & fororum interpretibus traditum sit, forum A vezes inuentum fuisse contra regulas forales, & contra naturam processus apprehensionis, vt nemo sine possessione vel actuali detentatione in eo iudicio experiri possit, & multo minus obtinere,

tinere,& sic extendere & ampliare dispositionem dicti fori, vltra suos cancellos, ad alios casus, in quibus fori requisita non concurrunt, nec concurrere possunt, satis absonum videtur. Quod facile erit intelligere si casus iste nouus & inauditus, nec in iudicio hactenus practicatus parificetur, cum requisitis dicti fori Avezes, quidquid sit de fideicommissis conditionalibus ex causa alienationis prohibitæ per vinculantes, quæ magis quæsito colore, & potiori iure exequari posse videtur in processu apprehensionis, iuxta istum forum A vezes, si a tempore contrauentionis & alienationis factæ per hæredem & possessorem de rebus alienari prohibitis tertius emptor, vel alio titulo possessor talium bonorum, omnino extraneus illa possederit per annum, & diem, quo casu obtineri consueuit contra vindicantem talia bona vigore dicti fideicommissi conditionalis in casu prohibitæ alienationis. Esto igitur, quod iuxta forum A vezes, huiusmodi casu in nostro processu esset regulanda, sicut ex causa prohibitæ alienationis, cum in dubium reuocatum fuerit, a quo tempore annalis possessio don Ioãnis de Bardaxi computanda sit (constat namque de ea saltem a tempore requisitionis ei factæ per don Martinum, & anno plus possidisse bona apprehensa) vrgere plurimũ videntur motiua præstita ad excludendam propositionẽm don Martini, ex isto capite, præscriptionis annalis possessionis don Ioannis de Bardaxi & esse repellendã, & merito fuisse repulsam cẽsemus. Neq; adducta in contrariũ pro parte don Martini mouere possunt, quod ei non valenti agere interim dum don Ioannes non eligebat, alterum ex duobus fideicommissis, el de los Sanchez, y el de los Bardaxis, cum essent incompatibilia (quia licet illud mixtionem admitteret, hoc tamen tale quale est expresse illam prohibet) præscriptio non currebat, quia expectare inquit, debuerat electionem don Ioannis, vel moram in non eligendo, vt ipse eligeret (vt fecit eligendo fideicommissum de los Bardaxis) quod inquit, facere non poterat, nisi transacto anno a tempore interpellationis ab eo don Ioanni factæ, in qua de alterutrum eligendo moneuatur, vel intra triduum, vel intra tempora a foro, iure, vel aliàs requisita. Quandoquidem (& in hoc forsan punctus controuersiæ istius versatur) supposito pro constanti, quod don Ioannes quamdiu hoc ignorauit, nullatenus contra-

ueniſſe in hoc cenſendus ſit, nec debuiſſe alterutrum vinculo-rum prædictorum eligere (vt verius eſt poſſeſſorem conſcium incompatibilium fideicommiſſorum teneri) nec probata fuit in eo ſcientia, de qua nemo dubitat, & illum bona fide cognominibus & armis de los Torrellas y Bardaxi promiſcue vſum fuiſſe, vt maiores ſui conſueuerunt pater, & auus, & alij aſcendentes, oportebat ad conſtituendum illũ in mora, vt ex contrauentione aperiretur via fideicommiſſo, vt ſequenti in gradu deferretur ſucceſſio, quod moneretur, & certioraretur, vt impleret præceptum don Ioannis de Bardaxi vinculantis, vt cognomen ſuum, & arma ſine mixtione aliorum portaret, quo caſu forſan monendus non videbatur, quod alterutrum, quia el de los Sanchez cõpatibile erat, quia non prohibet mixturam, & don Martinus non imputat don Ioanni moram, aut contemptum non ferendi nomẽ & arma de los Sanchez, ſiue el de los Torrellas, & caſu quod interpellare debuiſſet de facienda electione, & alterius aſſumptione cum cognomine & armis illius, neceſſario oportebat illi tempus ad hoc faciendum præſtituere, & aſſignare, in quo ſi tempus Authenticæ, hoc amplius, vt quibuſdam placuit ſpectandum non eſt, nec aſſignandum (cum hoc breuiori tempore adimpleri poſſit) ſed arbitrio Iudicis dandum eſt, vt ſatis ex hoc elici videatur monitionem illam debere eſſe iudicialem, & ex decreto Iudicis conſtituendam, & declarationem illam iudicialem præcedere debuiſſe, neque hoc licuiſſe don Martino facere in ſua requiſitione præſtituendo tempus don Ioanni. Vel ſi de ea habẽda eſt ratio, cum triduum in ea aſſignauerit, certo certius eſt annum effluxiſſe ab eo tempore. Quod ſi longius tempus don Ioanni competebat arbitrio Iudicis, dandum erat mediante ſua monitione, & declaratione, quod nõ fuit factum, nec interuenit in præſenti caſu, & ita impracticabilis videtur iſte caſus contrauentionis, ignoranti enim tempus eligendi arbitrio Iudicis præfigendum eſt, vt in materia, & iudicio apprehenſionum locum ſibi vendicet, neque in vno & eodem iudicio & proceſſu apprehenſionis concurrere poſſunt monitio cum præfixione temporis ad eligẽdum, & ex contemptu & contrauentione, declaratio incurſus in pœna in præcepto comminata, neque tale quippiam in iudicio apprehenſionis fuit viſum, aut practicatum. Verum, quando iſta nõ

admo-

admodum vrgeant, & monitio, & interpellatio don Martini ſubſtineri poſſit, & ſi non a triduo annalis poſſeſſio eſt computanda, ex quo tamen don Martinus fatetur, articulauit, & probauit per teſtes, quod don Ioannes toto tempore vitæ ſuæ ante & poſt monitionem continue vſque nunc, & de præſenti, armis & cognominibus commixtis vtriuſque familiæ vſus fuit, & ſic vltra annum, & annos contraueniſſe; nonne poſt monitionem ante lapſum anni ex iure ſibi quæſito per iſtas cõtrauentiones & obtionem datã don Ioanni, poterat in hoc iudicio experiri infra annũ, nõ expectata electione don Ioannis vltra annum? quia contraueniendo, vt fatetur ſemper, ſatis declarabat ſe nole eligere, ſed vtrumque retinere velle, vti conſueuerat, & tunc don Martinum debere eligere, & non pati don Ioannem in ſua poſſeſſione perſeuerare vltra annum. Nec mouet, quod replicat de continuatis, & ſecutis alijs contrauentionibus don Ioannis, & quod ab illis computari non poſſit annalis poſſeſſio, quia ante ex alijs iam adepta fuit, quandoquidem ex vltimis contrauentionibus nihilo magis efficiebatur deterior conditio don Ioannis, quam ex primis cõtrauentionibus, & multo minus, quia ſi ex primis iam fuit ius quæſitum don Martino, & don Ioannes contraueniendo præcepto cadebat fideicommiſſo, & eo erat priuatus in poſterum nullo iure tenebatur obedire præcepto, quia ſemel contraueniẽdo moram amplius purgare non poterat, nec amiſum ius recuperare, itaque ſuppoſita prima contrauentione, & ab ea lapſus anni, replicatione iſtius annalis poſſeſſionis repellitur. Verum tamen vt extra omnem aleam, & dubitationem iſta vindicentur licet incerti iuris non eſt, quod huiuſmodi præcepta, & onera ferendi nomen & arma teſtatorum & viuculantium pro conſeruanda illorum memoria, & familiarũ ſuarũ iuſta & rationabilia cenſeantur, & obſernanda eſſe, nihilominus tamen plerumque grauiſſimis viris iuris interpretibus placuit ea quæ priuationẽ, & ſine mixtura, tale onus imponunt, & grauant cognomen & arma auita, & maiorum ſuorum propriæ familiæ præferre eſſe odioſa, & contra bonos mores, & quaſi inter turpia reputari, & ſtricte interpretanda. Quod præterquam quod diuinæ ſcripturæ hoc ſatis inſinuant, exemplo matris illius inſignis mulieris Ruth, cum ſucceſſio, & ius ſanguinis ſibi competeret cum onere

nominis

nominis & iure propinquitatis,respõdit recte iure propinquitatis, neq; enim paupertatem familiæ meæ delere debeo, interest enim reipublicę inquiunt, quod antiquum nomen omnino non deleatur,sed quod nouum adiungatur, quia hoc modo vtrique familiæ consulitur, & testatoris voluntati satisfit,vtilitati & commodo hæredum,& posterorum suorum,qui citra culpam suã priuarentur fideicommisso, & ideo multi fideicommissarij dedignarentur talia fideicommissa acceptare ne cogantur propter fucatam,& imaginariam memoriam,& agnationem (quæ per extraneos adimplere posse, quam longe a veritate)naturalem & propriam deserere,etiam fieret, vt multa testamenta perirent, & voluntates testatorũ fraudarentur contra reipublicę vtilitatem,cuius interest vt testamenta plenum sortiãtur effectum, & ideo in hac materia grauissimis viris visum fuit, quod quando ista vera sint,absoleta, & diu non seruata,& quasi obliuioni tradita suscitari non debeãt,nec rigurose cum possessoribus agendum,quando sunt personæ honoratę,maxime quando agitur de priuatione bonorum,in qua contemptus, & affectata culpa possessio, maxime attendi debet,& non quælibet leuis causa.& aduersus successores,qui huiusmodi præcepta non implẽt,maximo cum temperamenro esse procedendum, cum priuatio non nisi in casibus a iure expressis introducenda sit.At in præsenti causa quis poterit don Ioannem de mora,& multo minus de contemptu arguere?cum satis constet eum nomen,& arma de los Bardaxis perpetuo portasse, licet mixtim con el de los Torrellas,& in hoc secutum fuisse exemplum maiorum suorum,quę consuetudo eum excusare debet. Neque constat eum scientiam habuisse præcepti impositi per don Ioannem de Bardaxi,& licet certioratus videatur ex requisitione facta per dictum don Martinum, & præsentationem ei factam de dictis vinculis, non hoc constituit eum in mora ad illud adimplendum, neque exhibitio aliarum scripturarum in præsenti processu facta, quandoquidem ex capite credulitatis de consilio suorum aduocatorum induci potuit ad credendum quod tales scripturæ essent insolemnes,&fidem non facerent,neque in forma probanti productę, & ideo iustissimam causam præbuerunt credendi verisimiliter se non teneri adimplere requisita, prẹsertim cum nulla prẹcesserit iudicialis autho-

ritas

riras, neque decretum, quod dictis scripturis esset danda fides, nam licet in processu manifestationis Ioannis Mir, olim fuerit prouisum, & mandatum notam dictorum capitulorum, & alias scripturas in dicto processu manifestatas transumptari, solum potuerunt prejudicare partibus in eo processu contendentibus, & non aliis, & licet de eo processu fecerit fidem don Martinus, nullo modo nocere potest don Ioanni non citato, cum sit res inter alios acta, & licet postea in eodem processu se opposuerit dō Martinus, & ad eius instantiam copiæ dictarum scripturarum petitæ fuerint extrahi tanquam ab originali, & mandatum fuerit extrahi copias, hoc tamen fuit ex post facto, neque de tali decreto constat in præsenti processu, neque don Ioannes fuit citatus in eo processu ad extrahendas dictas copias. Adest, & alia causa non minus vrgens, sed solidissima, & quæ vt aiunt ponit securim ad radicem æquissima, & iustissima quæque quando prædictæ omnes deficerent, hæc sola sufficiens est, & irrefragabilis non solum ad excusandum don Ioannem a prætensa caducitate, & priuatione Baroniæ de Antillon, sed ad eum penitus liberandum ab onere ferendi nomen & arma de los Bardaxis, sine mixtura, quandoquidem data validitate capitulorum matrimonialium dō Ioannis de Bardixi, & vinculi, seu fideicommissi perpetui gradualis & successiui, & certis casibus electiui in eo constituti, qui varios gradus substitutionū continet, & inter alios postquā don Ioannes de Bardaxi vinculās, & donator vocauit filios & descendētes masculos don Ioannis de Bardaxi donatarij, & in eorū defectum don Petrum de Bardaxi fratrem ipsius donatarij, & eius filios, & descendentes masculos, sine tamen tali onere ferendi nomen & arma de los Bardaxis (quod summe adnotandū est ad id quod infra dicetur) substituit modo sequenti: *Et en caso que otros fillos del dito don Juan de Bardaxi no y de aura, o contescera los otros fillos y descendientes dellos morir en manera que no y de fincassen descendientes de los ditos otros fillos, del dicto mossen Iuan, en el dito caso los ditos castillos è lugares sean, finquen, è tornen a los fillos masclos legitimos, & de legitimo matrimonio procreados de las fillas del dito Iuan de*

E Bar.

Bardaxi, & a los descendiẽtes dellos de mayor en menor, enla forma q̃ esta ordenado enel dito Iuã de Bardaxi, è en sus fillos, è descendientes dellos. Con tal empero manera, è condicion, q̃ el dito fillo de la dita filla del dito don Iuan de Bardaxi q̃ sucedera en ditos bienes, lleue las armas dereytas de Bardaxi, sin mixtura alguna. Et do lo sobredito no fiziesse, que venga en el segundo fillo masclo de la dita filla del dito don Iuan, con la dita condicion, e carga, & assi sucessiuament en los otros fillos delas fillas del dito Iuã de Bardaxi de vno en otro, seruãdo orden de genitura. Et en caso q̃ no y de aura fillos masclos de las fillas del dito Iuan de Bardaxi, en el dito caso los ditos castillos tornen, e finquen de & a los fillos masclos de las fillas del dito Pedro de Bardaxi, & a los descendientes de ellos por recta linea masculina de mayor en menor seruando orden de genitura, & en la manera, & forma, e con las calidades e modificaciones de suso ditas, & que de la parte de suso es ordenado en el dito Iuan de Bardaxi, e descendientes del, e con la manera, e condicion, e carga de auer de lleuar las armas, & sobrenombre de Bardaxi de suso ditas, sin mixtura alguna, segun de suso largament es recitado. Ex quorũ verborum tenore, contextura, & serie clare constat, & constabit in grauamine ferendi nomen & arma delos Bardaxis nullã factam fuisse mentionem descendentium a filiis masculis filiarum dicti Ioannis de Bardaxi, nec tale quid legitur, nec apparet in verbis prædictis, sed præceptum & onus hoc impositum fuisse filio filiæ qui in dictis bonis succederet, & eo contrafaciente secundo, *& sucessiuament en los otros fillos de las ditas fillas.* Itaque dato pro constanti (quod negari non potest) quod descendentium nulla fuit in ista clausula facta mentio, nec tale verbum fuit appositum, vt tale onus comprehendat descendentes ex filiis masculis filiarum dicti Ioannis, hoc eliciendum est, aut ex vi comprehẽsiua, & interpretatiua, repetitiua, aut relatiua. Ita quod vel quod appellatione filiorũ veniant nepotes, & descẽdentes, & quod

quod verbum, *en los otros fillos de las fillas del dito don Iuã de Bardaxi,* comprehendat nepotes & descendentes ex illis, & omnes censeantur grauati hoc onere ferendi nomen & arma de los Bardaxis, quod vtique dicendum non videtur. Tum quia in litera & carta non legitur, cui satis vulgare est esse standum, & secundum quod in ea continetur iudicandum, præsertim in materia onerosa, & inferente onus & grauamen, & ex qua tam magnum irrogatur præiudicium, quale est priuatio successionis, & bonorum, præsertim in præiudicium successorum, & descendentium vinculantis, qui pariter ad fideicommissum vocati fuerunt, & sine culpa sua eo priuarentur ob talem causam, quæ licet iusta, & rationabilis iudicetur, solum obseruanda est, vbi clare & aperte imponitur, & non per subauditus intellectus, in alijs. Tum etiã quia etiam in terminis iuris & de ratione scripta communis fere Doctorum Schola tenet, quod appellatione filiorum ex propria significatione nepotes, nec alij descendentes non comprehenduntur, nec etiam ex vi comprehensiua, seu interpretatiua, quando agitur de interpretatione fideicommissi, quod onus & grauamen continet, & præsertim quando certa persona designatur, vt in præsenti casu, nam dictio, *el dito fillo de la dita filla, & los otros fillos delas fillas*, quia dictio (ex) denotat causam proximam & immediatam, vt de filiis tantum filiarum don Ioannis ipsius loquatur, non de nepotibus, nam in passiua vocatione ad inducendum grauamen, nepotes non continentur appellatione filiorum, puta si dicatur ex tali persona, vel de tali matrimonio. Quod multo magis procedit quando testator, vel alius qui fideicommissum constituit discretiue locutus est, vt videretur apertissime in præsenti casu, vbi donator in gradu substitutionis filiorum masculorum ex filiabus Ioannis de Bardaxi vocat filios, & descendentes masculos in perpetuum seruato ordine primogenituræ, & statim (vt per inter capedinem, & aliarum clausularum insertionem de obliuione non arguatur, sed potius de aduersa mente, & mutato consilio) immediate subiungit: *Con tal empero manera, y condicion, que el dito fillo dela dita filla q̃ sucedera en ditos bienes, aya de nõbrarse, e se nõbre, &c.*

vbi

vbi, nec in sequentibus dum de filiis filiarum don Ioannis loquitur, de descendentibus nullam facit mentionem, nisi dicamus, sub eo nomine (filiorum) descendentes etiam cōprehendi, vt tali etiam onere censeantur grauati, quod si voluisset expresſisset. Tum etiam, quia in substitutione filiorum masculorum Ioannis, filij, & descendentes discretiue fuerunt vocati. Eodem modo locutus est in substitutione filiorum masculorum Petri de Bardaxi, quia statim subiungit, & descendentes eorum. Et quod magis vrget, & notandum est, quod in substitutione filiorum ex filiabus Petri grauamen istud, & onus imponit filiis & descendentibus illarum, quod id ipsum facere potuisset loquendo de filiis masculis filiarum don Ioannis, & sic nulla maior ratio aduersæ voluntatis ad imponendū onus hoc descendentibus ex filiis filiarū Ioannis, quam discretiua ista verba, & ommisſio verbi (descendentium) in filiis filiarum Ioannis in oneris impositione. His accedit, quod in substitutionibus filiorum masculorum Ioannis, & Petri discretiue locutus est, subiungendo statim descendentes, absque tamen onere isto ferendi nomen & arma, quod summe annotandum est, quodq; statim dicemus. Neq; mouere debent coniecturæ ex aduerso consideratæ (quæ præterquam quod cartæ & literæ de directo opponuntur, relunctante foro) videlicet, quod huiusmodi fideicommissum perpetuum sit, vnio bonorum inducta, & contemplata agnatio, & quod sicuti eam inter descendentes masculos filiorum Ioannis, & Petri realiter, & vere conseruare voluit, ita in substitutione filiorū masculorum ex filiabus Ioānis per impositionem oneris ferendi nomen & arma, quod ad hunc finem, & inducendam artificiosam agnationem, & familiæ, & vinculantium memoriam fieri solet: Quia coniectura ista vana & futilis est in fideicommisſis, etiam perpetuis, & quantumcumque duraturis, & variis gradibus, & conditionibus, & oneribus constitutis, quia præter maioratus (qui per statuta terrarum sunt adinuenti ad perpetuam succesſionem, & durationem, & vt ex natura sua perpetua sit succesſio in omnes descendentes, & transuersales de familia institutoris, & ideo appellatione filiorum nepotes, & descendentes grauamina repetita, & neque etiam in his masculinitas) & plurima alia quæ ex mēte & volūtate colligūtur,

non

non autem ex clara & aperta dispositione, hæc omnia in fideicõmissis cessant, vt superius dictũ est, quæ longe a primogeniis differre iuris interpretes promiscue testantur, & ficta illa & imaginaria, & affectata agnatio, quæ ex impositione nominis & armorum consideratur mouere non debet ad illam inducendam in casibus & personis non expressis, & etiam ex vi comprehensionis aut repetitionis, quia vere dicitur imaginaria & futilis, quia ex hoc capite vbiq; contemplata fuisset in omnibus substitutionibus, & quo ad omnes personas, & descendentes, quod tamen non fecit donator, quia non grauauit hoc onere filios masculos, & descendentes Ioannis, & Petri filiorum suorum, & tamen id facere oportebat, quia licet essent de sua familia, & agnatione, & iuxta eã portare debebant nomen & arma de los Bardaxis, tamẽ potuissent non illa deferere, & alia assumere pro libito suo, vel præcepto alterius fideicommissi ad quod vocati fuissent, cum isto onere ferendi nomen & arma alterius familiæ sine mixtura, & quis diceret grauatos hoc onere, & substitutos in aliis gradibus puta filios masculos filiarum Ioannis posse ex hoc capite ista bona vindicare, & priuare successione filios & descendentes masculos Ioannis & Petri? Non etiam obstant verba illa, *sucessiuament en los otros fillos de las fillas del dito don Iuan, seruando orden de genitura*, illa enim licet inducere videantur perpetuitatem, non tamen respectu onerum successorum & descendentium suorum, quia verbum successorum, seu ordine successiuo, ordinem succedendi ab intestato declarant, & significant, licet seruato ordine geniture, vt non omnes eiusdem gradus, qui ab intestato successuri essent succedant, sed primogenitus tantũ, & sic de vno in alterũ. Tum etiam, quia licet ista verba tractũ temporis, & perpetuitatem continere videantur, illa tantum restricta aperte videntur respectu filiorum ex filiabus Ioannis, & cuiuslibet illorum de vno in alterum, & quando perpetuitas, & tractus successiuus continet diuersas lineas & gradus, & respicit diuersas personas, ad quas referri potest, & cum quibus loquitur, ad eos restringitur, nõ solũ in onerosis, sed in fauorabilibus. Deniq; non releuat coniectura illa, quæ ex relatione grauaminis impositi filiis & descendentibus filiarum Petri consideratur, & opponitur

F quasi

quasi ad id videatur fecisse relationem in illis verbis, *como lo auia ordenado en Iuan de Bardaxi, y sus descendientes*, quia ea verba non referuntur ad onus & grauamen ferendi nomen & arma de los Bardaxis, nisi ad fideicommissum electiuum, & impositum Ioanni, & suis descendentibus, modis, & formis in eo contentis, & expressatis, quos nullatenus grauauit isto onere, & deinde subiungit in descendentes, *& con la carga, e nombre, y armas, sin mixtura alguna, como de suso es dito*, & licet referri potuisset *a los hijos delas hijas de Iuan*, non possunt ampliare eã dispositionẽ, quæ de descendentibus non loquitur, quia verba relatiua non ampliant, nec disponunt, sed in suo casu verificantur, quod satis est, quia neque etiã si præsuppositiua fuissent non disponerent, cum non per se, & principaliter proferuntur, sed ad alium finem. Denique vrget plurimum, quod quando nõ constaret tam aperte de voluntate vinculatoris, quod noluit grauare descendentes, ex filiis filiarũ Ioannis (quales sunt don Ioannes, & don Martinus, vt ex facto resultat) sed dubia, & ambigua fuisset, hoc sufficere debet ad excusandum don Ioannem ab incursu istius pœnæ & priuatione, quia iusta credulitas ex facto ambiguo disponẽtis tribuit iustã causam excusandi a caducitate, sicuti quælibet causa excusat a dolo & pœna, vt in materia tributorum excusare solet a commissis iusta causa ignorantiæ, & credulitatis, & bonæ fidei, & similium. Ex quibus & aliis ita merito iudicandum censemus.

Laurentius Ibañez de Aoyz Scriba mandati domini nostri Regis.